

quæ utilitatis præcepta, seu à Lectione Historiarum petere solent maxime à posteriori, ab aliorum exemplis. Imo non exiguum illi successum deprædicant, qui, dum è Logicis jam cognoscunt subjectum, prædicatum & medium terminum, simul deprehendunt, quid sit analytica Methodus, & quid per Subjectum, Finem & Media debeat intelligi. His enim capitibus Ethici *Hominem, Virtutem, Legem, Politici Rempublicam, ejus conservationem, Leges & Consilia* præscribunt.

XII. Est etiam Politica specialis, quæ Notitiam Regnorum & Rerumpublicarum Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Septentrionis, Italiæ, Bataviæ, &c. persequitur, collectis simul consiliis, quæ ad scopum imperantibus præfixum aut faciant, aut ab eadem recedant. Sed ista demum feliciter pertractat, cui Topica reddiderit animum ordini adsvetum.

XIII. In Ethica tractatum habemus specialem de Officiis hominum in diverso statu existentium: In Politicis speciatim Ideas indagamus hominum, huic vel illi functioni addictorum, Cancellarii, Consiliarii, Camerarii, Ducis Bellici, Mareschalli &c. Neq; Politicus suo studio fideliter prospectum putet, qui nunquam ad ejusmodi meditationes deflexerit animum. Sed quantum hic valeat doctrina Topica, jam videri potest in Logica nostra *Part. II. Lib. 2. cap. 4. p. 352. seqq.*

XIV. Cæterum in Practica hæc Philosophia non acquiescunt Politici, sive postmodum Juris privati studio remp. sibi devincire, sive Juris publici tractatione Principum cancellis commendari cupiant. Utrobiq; enim LEGES inveniunt, quæ interpretandi artem præsupponunt, vel CASUS, quidus applicandi & comparandi felicitas prodest.

XV. Proinde si brevem eruditi Nobilis sive Politici quis exigat ideam, *Hominem* diceremus *Lingvarum notitia, loquendi cultura, Ethicæ ac Politicæ studio tum generali, tum speciali, Historiarum Lectione, Legum intellectu, Casuum experientia & judicio sic instructum, ut non eruditum modo se, sed utilem quoq; singulis demonstrare queat.*

XVI. Nunquid ad hanc eruditionem contribuat Theologia, tanto minus dubitari potest, quod Politicos non modo christia-